

503

# IOANNIS BAPTISTÆ

EGNATII VENETI ROMA.

norum Principum Liber primus.

## C. IVLIUS CAESAR DICTATOR.



RIMVS hic perpetuā dicta-  
turā inuasit. Debellata enim  
intra decēniū Gallia, tentata  
tunc primū Britannia, et Ger-  
manis in sylvas, ac paludes sua  
as cōpulsis, in Italiam descē-  
dit: eāq; solita celeritate recepta, Hispanijsq; pacatis,  
Pōpeium Magnū Pharsalico prælio fudit: cumq; de  
omnibus hostib; triūphasset, tandem amicissimorū  
cōuratione oppressus, perīit etatis anno VI. ac quin  
quagesimo, dictaturæ uero inito anno III. Vir pacis,  
belliq; artibus, & in primis clemētia longè clarissi-  
mus. si libertatis assertor, quā inuaserit esse maluisset.

## OCTAVIUS CAESAR AVG.

**T**ribus ac uiginti vulneribus intersecto Cæsare,  
felicissimus omnium ad hanc diem succēbit O-  
ctavius ex Accia Cæsaris nepte. Vindicatis enim pa-  
tris intersectoribus, uictorēq; ciuilibus bellis omnibus,  
nouissimè Antonio ad Actium nauali pugna supera-  
to, quo eian duodecim annos Remp. tenuerat, triun-

## 504 IO. BAPT. EGNATII

phator orbis totius, pacisq; restitutor æterne, per  
quatuor ac XL. annos imperium rexit: urbemq; Ro-  
mā optimis institutis ac legibus, magnificèstissimq;  
operibus sic excoluit, ut merito parēs patriæ primus,  
atq; Augustus diceretur. Obiit Nola septuagesimo  
sesto ætatis anno, cum LVI. imperasset. Ad cuius im-  
perij felicitatem illud accessit, quod seruator noster  
**CHRISTVS**, lux gentium & orbis, sub eo nasci-  
uoluit: ut quē summis animi, corporisq; dotibus prin-  
cipem clarissimum terris dederat, eodem etiam gene-  
ris humani parens optimus & maximus nasceretur.  
Huius felicitas ceteris optata principibus.

## TIBERIVS NERO.

**T**ristissimus omnium mortaliū optimo princi-  
pi succēs̄it Tiberius, Liuie uxoris magis im-  
pui, uq; Augusti iudicio: quippe cuius neq; mores, neq;  
ingeniu unquam probasset, pertinaciam et infinitā  
eius scutitā perteſsus: principatū ab initio diſimula-  
to ingenio et matris reverētia, non incōmodē geſſit:  
mo & Capreensi ſeſeu luxurie, ac cædibus uacans, cū  
prouinciæ undiq; uiferentur, Caligule nepotis astu  
& fraud: periit octauo ac septuagesimo ætatis āno,  
tertio & uigesimo imperij. Huius imperij anno duo-  
deuigesimo Christū seruatorem nostrum Iudei cruci  
affixerunt: ex quo ad supremā gētis internitionē nur  
quā seditiōe, fame, ferro, peste, laborari ab his deſtitū.

C.C. 6

RO. PRINCIPVM LIB. I. 505  
C. CAESAR CALIGVLA.

**P**refuit hic Reipu. annos quatuor, magis in Germanici patris gratiam populo ac militibus commendatus, quam in ingenio suo primus enim à Cesarum stemmate penitus degenerauit, ut non immerito fax humani generis dictus sit: certè uox eius nefaria excepta, unam ceruicem pop. Ro. optantis, quò facilius uno iectu abscindī posset. Casij Chereæ & aliorum coniuratione ferro occubuit, annum agens XXVIII. de quo sit dictum, nec meliorem ab initio principem nec peiorem postea fuisse.

CLAVDIVS CAESAR.

**N**escias in hoc principe quid primum accuses: adeò uerberia cum seuitia, ac luxuria certabant: qui fato potius, ac fortunæ ludibrio ad imperium, cum latitaret extrema pertimescens, imperfecto Caligula auenerit: quod nō minore socordia quam crudelitate per annos XIII. uexarit. Quāta fuerit eius stultitia, hinc aduertas. Messalina uxor portentosæ libidinis foemina C. Silio nupserat: qui uix imperfecta, Agrippinam Germanici fratri filiā, nouo exemplo nouercam liberis duobus superinduxit: & Britannico filio priuignum Neronem anteposuit: cuius insidijs, & Agrippinæ ueneno in boleto dato periret se nez, etatis anno LXIII.

DOMITIVS NERO.

**F**ax altera totius orbis iure à nobis dicatur: quia  
ex Domitio, atque Agrippina natus, imperij Ro-  
mani maiestatem paterna, maternaq; cæde polluit, li-  
bidinis adeò effrenata, ut matris concubitum appa-  
tijisse credatur, ipse certè sumpto flammeo nuptiali  
sponsalia celebrauit: sœvitiae tate, ut præter urbis in-  
cendium, & uxoris Octaviae cædem, primus Christia-  
num sanguinem, Petro & Paulo interfectis, hauserit.  
Et ne quid scelerum decesset, publicè cantauit, in sce-  
naq; operam exhibuit. Tandem deficiente Galba, ho-  
stis à Senatu iudicatus, nec fortiter ferre potuit, adiu-  
tus alterius adigendo ferro manu, perijt etatis anno  
**X XXI.** imperij **XIII.** Quinquenio sub initia  
omnium princeps optimus existimatus, etiam Traia-  
ni testimonio, procul distare cæteros principes à Ne-  
ronis quinquennio predicantis.

**SERGIVS GALBA.**

**N**obilitissima Sulpitiorum familia natus, ac per  
omnes dignitatis gradus ad procōsulatum Hi-  
spaniae electus, iam grandis natu imperium septime-  
stre maiore hominum ab initio favore q; leto successu  
enuit. Avaritia & sœvitia in eo principe iuxta insi-  
mes: ex quo inuisus cunctis, cum Pisonem in conflatæ  
inuidiae remedium adoptasset, annos LXX. natus in  
medio foro à M. Othone iugulatur.

**M. SYLVIVS OTHO.**

Male

**M**alè partum principatum adeptus, & aduersa per omnem etatem fama, laudabili fine clausit. Dum enim IIII. uix mense exacto, Bebris censibus campis bellum ciuile contra Vitellij duces exercaretur, papillam pugione sibi transfixit. Ad eō militibus charus, ut multi ad eius exemplū, ante mortis pedes senet interfecerint. Vixit annos XXXVII.

### VITELLIVS.

**P**udet tot dedecorum, sed ad institutam seriem pertinet ex hunc ipsum referre. Qui patre Lucio Vitellio, & matre longè optima natus, militari factione, dū legatus Germaniae superiori præst, imperium inuasit, fædo ingenio, uentriq; ac gule natus, & quod usū in his uenit, seuitia par. Cæterum Vespasiano principe declarato, cœno, sumoq; iactatus, ac surca sub mentum posita diu per urbem traxus in scalis Gemonijs omnium ludibrio diu iacuit. Vita illi annorum LVII. Imperium uix octime fire.

### VESPASIANVS.

**F**essam, atque labantem Rempubl. trium principum tyrrannie potius, quam imperio, Flavie gentis autor Vespasianus primus restituit. Nam per X. annos, quibus imperium rexit, singulari studio, ac prouidentia rem administravit, & ne Cæsariane desist.

desideraretur nomen, effecit Hierosolymis expugnac-  
tis, cum filio triumphauit. Avaritiam ne culpes in eo,  
& temporum calamitas, & laudabilis eius usus facit:  
adeo inimicitarum omnium princeps oblitus, ut vi-  
tellij hostis filium locupletissime dotata, splendidissi-  
mo iungeret uiro: & in solecentem Mutianum, impe-  
rijq; participem agentem adhibitis familiaribus satis  
habuerit admonere se quoq; hominem esse, mors eius  
quantam animi tranquillitatem secum afferret, ostene-  
dit: dum alleuatus inter assidentium manus stantem  
aut imperatorem mori decere. Perij anno etatis uia-  
deseptrigesimo.

## D. TITVS VESPASIANVS.

**A** Morem, ac delitias humani generis Titu inse-  
sta mortalibus numina intra biennium suste-  
lere. Huius præcipuam clementiam ac liberalitatem,  
virtutesq; alias eximias per totum eius principature  
magis commendauit & uitæ anteactæ licetia, & sub  
initia luxurie, & avaricie suspicio, ut Neronis tyranno-  
nidè pleriq; augurarentur. Sed mutatus adepto impe-  
rio in melius, declarauit eiusdē esse ingenij & pessi-  
ma, & optimi interdum ferre. Hic Hierosolyma ex-  
pugnauit, sagittandi peritissimus, & literis impense  
doctus: vox eius quandoq; memorabilis audit: recor-  
datus enim super coenam, quod nemini eo die officiu-  
m contulisset: Amici, inquit, diem perdidisti, Huius impe-  
rio Ves-

RO. PRINCIPVM LIB. I. 509  
rio Vesuvius conflagravit: incendium Romæ totum  
triduum, & lues fuit. Periit ætatis anno XLI. in sum-  
mo omnium mœrore.

DOMITIANVS.

**E**cquis Titi non doleret interitum: tali præsero  
tim successore, qui per omni patri, fratriq; dis-  
similis, sepe etiam uiuentibus aut contumax, aut ob-  
trexator, Neroni ac Caligulae propior uixit: disimu-  
latamq; male sœvitiam per omnes ordines effudit.  
Quare nihil illi pater, fraterq; aut Cattorum, Ger-  
manoriumq; clades, aut bibliothecarum incensarum  
restitutio profuit, quin cæde illustrium virorum iniui-  
sus omnibus factus, suorum tandem conſpiratione post  
uite annum quintū ac quadragesimum, imperij quin-  
tum ac decimum confossum occubuerit, omniaq; cuius  
acta rescissa sint.

COCEIVS NERVA.

**M**eliore Reipub. fato, quod aurea gibba, Doc-  
mitiano post ceruicem in somnis enata por-  
tendit. Cocceius Nerva suscepit imperium, Parthes-  
nio id deferēte: clarissimus ortus haud dubie natus  
bus, ut Dion autor est. Et iā senex: qui cū alias leges,  
tum ne mares caſtrarentur, editio uetus summa ci-  
vilitatis & clementiae etiam in eos, qui in illum con-  
iurauerant. Ut optimè uero semper de omnibus meri-  
tis esse uideatur, Traiani prædictim adoptionem fa-

**SIO IO. BAPT. EGNATHI**

Etum est, quem absentem, dum senectam suam contemni uidet, Cæsarem appellavit, Homerico etiam uer-

su ad imperium adhortatus:

Tίτερα πάντας οὐδέ μη τοι πάντας θέλεσθαι.

Imperauit anno uno, mensibus **III**. Vixit annos

**LXVIII.**

**VLPIVS TRAIANVS.**

**O**ptimus omnium princeps exterritorum pri-  
mus Traianus, adoptione Nervæ imperiū mes-  
truit, domi sanctus, foris adeò clarus, ut præter Daci-  
am prouinciam factam, uicto etiam eorum rege De-  
cebalo, Parthos superauit, superatis regem dederit,  
Trāstigritanas prouincias imperio adiecerit, Arme-  
niam atq; Arabiam peruastarit: ut nihil omnino ha-  
buerit, in quo culpari meritiò possit. Amicitiarum cul-  
tor, simplicium ingeniorum, atque eruditissimorum  
admirator, iuris humani, diuiniq; consultissimus: ipse  
à literis & Musis haud abhorrens. Huius cineres &  
ossa in urbem relata, cochlide columna supposita cù  
eius imagine, quæ superstaret foro à se extucto.

Quāta fuerit in eo bonitas, acclamations principi-  
bus exhiberi solitæ declarant, cum Augusti felicita-  
tem, bonitatem Traiani his adprecarentur. Vixit an-  
nis **LXIIII.** imperauit **XX.**

**H**ic Italica stirpis Aelio Adriano, Traiani con-  
sobrino

sobrino Adrie orto genitus, Plotina, ut creditur, fia-  
uente imperator est factus, ingenio sublimi, uario, lis-  
terarum omnium peritisimus, sed matheseos in pri-  
mis: idē architectus, musicus, statuarius, multarum de-  
nique artium magis nō expers, quām callens. Docto-  
rum hominum nunc irrisor, & emulus: nunc fautor, et  
beneficius. Discipline militaris scientissimus, in qua  
multa etiam correxit, principibus, qui secuti postea  
sunt, ea maximè probantibus, peregrinationis adcō  
studiosus, ut omnes fermè prouincias pedibus etiam  
peragrans obicerit. Miserabili tandem fato consum-  
ptus est, ut in seipsum sœuire potuerit, si per domesti-  
cos licuisset. Imperauit annos XX. Vixit LXII. In-  
tusum eum fecere uiri illustres, non pauci sub eius ex-  
itum exilio, aut morte multati.

ANTONIUS PIVS.

**H**ic è transalpina Gallia paternum genus Ne-  
mausense. Pij cognomenti causæ diuersæ tra-  
duntur. Illud mihi maximè probabile, ut à morū pro-  
bitate, affectuq; in Adrianū, et seruatos eos, quos A-  
drianus interfici iussérat, id traxerit. Numē Pōpilio  
maximè similis. Nam per annos treis, ac uiginti nul-  
len sub eo bellum fuit. Amor ac timor gentium in  
eo certarunt, bellum mouere timentibus his aduers-  
sus principem, quem ut numen aliquod ueneraren-  
tur: nec ille glorie ita cupidus, ut per aliorum dam-

## §12 IO. BAPT. EGNATII

na, cædesq; eam appeteret. Nam & à coniuratis vint omnem abstinuit, & in consciis quæri uetus, ne plures inuenti odium augerent: apud Lorios duodecim millibus passuum ab urbe septuagenarius, cum M. Antonium philosophum adoptasset, obiit febre.

## M. ANTONIVS PHILOSOPH.

**Q**uam lœta, felixq; successio optimis, pijs, philosophis imperatoribus referēdis: utinam qui sequentur, tales merito dici possent. Nam hic ea ingeniis bonitate, his virtutibus excelluit, ut exemplum dedit: & ea temporum calamitas affuit, ut solus ærumnis publicis obliteret. Nisi enim hic præfuisse, maiestas Romani nominis facile tunc concidisset, Marcomannis, Quædis, Septentrione omni hinc saeū nte, in de Persis Orientem uastantibus, lue interim, inundationibus fluminū, locustarum ui omnia populantibus: sed uicti primū Veri principis auspicio Perse. Marcomannicum mox bellum, Christianorum etiam ope, qui tunc militabant, ex sententia per ipsius principis præsentiam consecutum. Ad quod gerendum principalis supellex hastæ subiecta, cum pecunia in stipendiu decesset: felicissimus certè princeps, nisi hæredem Cōmodum reliquisset post annum imperij duodeuigesimum, etatis quinquagesimum nonum.

## COMMODVS.

**A**dolescens mortuo in Germania patre, imperator

rator omnium uotis est dictus. Et quis filium Antonini reiecerisset? ille uero etiam patri non satis probatus, statim Caligulae, ac Neronis similimus euasit: libidine, auaritia, & crudelitate illis anteserendus. Nam in scena sepe aurige habitu prodijt. Ludis gladiatorijs & Dalmaticatus praesedit, & in amphitheatro gladiator dimicauit, Athletarum etiam more publice exercuit. Quæ omnia actis instruenda publicis curauit. Tandem Læto autore, & concubina Martia, post tertiumdecimum imperij annum strangulatur.

## AELIVS PERTINAX.

**S**Vcesserat haud dubie flagitosissimo principi Princeps optimus, si nō illum militaris auaritia, fatus in peius omnia trahentibus, intra octogesimum quintum imperij diem de medio sustulisset. Alba Pompeia in Liguri bus huic patria, genus humile, ac soridum. Virtus atque innocentia sionma, militiae clausus, & in ea ad summas dignitates euectus, unde & pila dictus est ludus. Hic cum summam de se expectationem omnibus daret, Læti insidijs, qui imperium illi struxerat, & militari factione, Juliano, qui successit, non incio, L X XI. etatis anno perijt.

DIDIVS IVLIANVS MEDIOLA-  
NENSIS.

**I**mperium, quod per scelus necis imperatorie con-

Kk sciss

## 514 IO. BAPT. EGNATII

scius, primus etiam licitatus esse dicitur, intra septem  
mum mensem cum vita simul amisit; neque enim mi-  
liti gratus, ob non integrum donatiuum datū; & po-  
pulo etiam inuisus, ob perfidiam in principem opti-  
mum. Quare inter utriusq; odia destitutus, Septimij  
Seueri iussu, qui imperatorem se appellauerat, dam-  
natorum more necatur. Vocesq; in illum graues à po-  
pulo sepe iactate.

## SEPTIMIVS SEVERVS.

**A**frica illa olim imperij Romani emula, hunc  
genuit imperatorem magis necessarium, quā  
inutilē. Vnde etiam iactatum vulgo, aut nunquam  
nasci debuisse, aut nunq; mori. Nam & imperium for-  
titer administravit; & sublati in oriente Pescennio  
Nigro, in Gallijs Clodio Albino, quem & Cæsarē di-  
xerat, orientem omnē Parthis, Arabibus, Adiabenis  
deuictis, Romanæ maiestati restituit. Arcus adhuc  
Rome uictoriae monumentum titulis magnificentissi-  
mis uisitetur. Britannos tumultuantes compescuit, ual-  
lo per XXII. passuum millia à mari ad mare du-  
cto, ubi etiā duo deuigesimo imperij āno septuagena-  
rio maior ex articulari morbo decepit. Bellicis ar-  
tibus clarus: pacis, nisi scutitia ac perfidia eas inqui-  
nasset, non contēnendus. Cæterum literarū non igna-  
rus, matheseos peritus, à Latinis non abhorrens, nisi  
Punicum quid redderet. Cædibus illustrium uirorum

ad eō

ad eo infamis, ut Punicas clades in toga cæsorum ciui  
uni Romanorum sanguine rependerit.

## ANTONIVS CARACALLA.

**V**estis huic, quā talarem è Gallijs aduectā, Rō  
mano populo donarat, cognomen addidit. Se-  
vero patri adhuc uiuenti contumax, nec minus in frā-  
trem Getam impius, quem patre mortuo statim occi-  
derit: militi tamen gratus, cūm ob ingens donatiuum  
his datum, tum quòd in castris gregarij penè militis  
uices ageret. Alexandri Magni admirator, quem col-  
lo in leuam hunerum detorto reddere cuperet. Hic  
orbe peragrato, Alexandrinorū dicacitatē ultus in-  
genti corū cede, Persas dolo magis, quām uirtute fu-  
dit. sexto demum imperij anno militum dolo Carris,  
dum uentris oneri leuando intenderet, interficitur  
XXX. etatis anno.

## OPILIVS MACRINVS.

**O**bscurissimis parētil s' ortus Maurusij gene-  
ris, malis artibus, ac pudēdis ad præfecturam  
euectus, à iuris tamen scientia non alienus, sed uenale  
fide, ac uita semper sordida, post imperfectum Antoc-  
nium, imperium cum Diadumeno filio formosissimo  
Macrinus inuasit: quod cum per annū et menses duos  
obtinuissest, uictus ab Heliogabalo cum filio, quinqua-  
genario maior fugiens obtruncatur. Data est dictio  
consulenti super imperio talis.

516 IO. BAPT. EGNATII

Ω γέροντα μάλα δίκαιοι τείρσοι μαχηταί,  
Σταύροι βίσι οὐλυταί, χαλκοὶ οὐδὲ οὐ πρασίνα.

VARIUS HELIOGABALVS.

**A** Syrium (quis credat?) principem nescio māiorine fortunae ludibrio, an Romane maiestatis suggillatione orbis hunc per duos ei apius annos tulit, & eum incestum, si quidem uerum erat Caracallæ filium ex Scenide consobrina natū. Qui ex Oriente Romanam profectus, intersecto (ut dixi) Macrino, tralato etiam inde Heliogabali numine ad urbē, in summa omnium expectatione uenit: sed illi mox omnia in ludibrium, aut odium conuersa sunt. Nullus enim principum ad hanc diem maiore libidinis flagravit infamia, uti se in muliebri sexum execari curarit. Nullus maiore luxu opes prodegit imperij: nullus deniq; contaminatus, aut impurius uixit: omnium religionum contemptor, præter patrij numinis Heliogabali. Hunc tamen in cloacam proiectum, mox in Tiberim cum matre Scenide tractum per milites populus Romanus ita ultus est, uti nomen eius ex publicis monumentis eraderet. Vixit ann. X VI.

ALEXANDER SEVERVS.

**M**eliore orbis fato ex Māmæa cōsobrinus Heliogabalo Alexander iampridē ab impura illa belua adoptatus in imperium succēdit, optimis principibus & quondam innocentia, in viros bonos be-

neuos

nevolentia, & (que præcipua dos principum) singula in omnes clementia, ut & vox iuxta eum eius dicatur imperium. Hic expeditione Persica ex animi sententia confessus, dum ad Septentrionem uertit arma, Germanis tumultuantibus factione militari tertiodecimo imperij, uitæ anno undetrigesimo, Maximini perfidia cum matre in tentorio necatur. Primus post Adriani principem, qui uerae pietatis lumen accepit. Nam C H R I S T V M in larario suo semper habuit. Quim illa ex sacris literis sententia frequens ei in ore esse: Quod tibi nolis, id in alterum facere caueas. Locum etiam Christianis adiudicauit, quibus popinarij litem intendebant, rescribens Deum multo melius quoquo modo coli, quam popinarijs assignari.

### DE PARTHORVM, ET PER=

sarum imperio.

**N**on alienum ab instituta serie fuerit, quando posthac Persarum arma in Oriente, post Parthica toties erunt referenda, si breui imperium utriusq; populi, tum ad nostram etatem in eo terrarū traetu regnorū scriem perstringā. Primus igitur Par-

Arsaces

Arshas

nos floruit: disidentibus inter se Syria regibus. Parthis uero per haec tempora uaria admodum fortuna

**Antaxer** - cum Romanis contendentibus, Artaxerxes Persa, uir  
xes rex  
Persarū. obscuris admodum parentibus ortus, genti sue uete-  
rem imperij gloriam restituit. Triplicijs; prelio Are-  
thabano cum tota Arsacidarum familia cæso, Persas  
Orienti iterum imposuit. Quorum imperium ad

**Chosroës** Chosroën usque regem, & Heracilium imperatorem  
rex Persa  
rum.

**Heraclius** per quadringētos annos mansit, grauibus prelijs, al-  
ternante fortuna, cum Romanis interim gestis. Qua

**impera-** tempestate Saraceni ex Arabia profecti, Maomethe  
tor.

**Maome** - duce, noui delirij autore, Persas primū, mox Ro-  
manos uarijs & ingentibus cladibus afflixere: floru-

itq; Saracenicū nomen, Persico sublato, adeò ut non  
cōtenti Asia imperio, maximam Europæ partem si-  
bi subiecerint: ipsam etiā terram Italianam (quod hor-  
reat meminisse animus) mari terraq; foedè per du-

**Turcæ.** centos & amplius annos populati. Mox praevalenti-  
bus Turcarum rebus, diuisum in Oriente imperium

est: Saracenis Aegyptum, & Asiam ad Orientem si-  
bi uendicantibus: Turcis propiores, Europæ provin-  
cias per nostrorum principum segnitiem occupanti-  
bus: repressaq; interim gentis in Christianum nomē

infestissimæ rabies Gallorum armis Europæ princi-  
pum communi expeditione, autoribus tamen Fran-  
cis in eos sumpta, & Hierosolyma nobis restituta.

Ceterum

Ceterum nostrorum discordia rebus in Asia labentibus, & modò Tartaris, modò Saracenis de imperio contendentibus, Asia pars, quæ à Taurō ad Euphratēm protenditur, Saracenorum imperio, reliqua ad Hellespontum Turcis cœsit. Interim centesimum ab <sup>Tamber-</sup>  
lanes.  
 hinc & amplius annum, Tamberlanes inter Scythes humili loco natus ex gregario milite ordinis prisma, mox exercitū duxtor, Parthis imperium astruebat, uictis omnibus finitimis gentibus, Syriam cum tota Aegypto populatus est. Inde in minori Asia Paizetis <sup>Paizetes</sup> Turcarum principi congressus, eum captum cum tota gente ad internitionem cœsa, in vinculis habuit, ut <sup>Turca ui-</sup>  
<sup>ctus & ca-</sup>  
<sup>ptus,</sup>  
 storq; domum reuersus, urbe etiam Marchanti populosissima à se condita, & uictarum gentium spolijs ornata, imperium moriens duobus filijs reliquit. Quorum disfido res tanta indele parta, retrò facile abijt. Stetit tamen regnum trās Euphratēm filiis in columnē ad Vſuncassanum usq; qui cum Maomethe etiam conflixit. Variatum demum in his terris, re <sup>Vſuncassa</sup>  
<sup>nus.</sup>  
 Aegyptiaca interim florente, donec auditū est etas te nostra Psophis nomen unius ex Vſuncassani hereditatis fortuna seruati: qui magno hominum fauore ad imperium ascitus, ueluti hereditarium odium cum Turcis exerceat.

IO. BAPT. EGNATII  
IVLIVS MAXIMINVS.

**R**edit nunc stylus ad institutam seriē. Nam ALEXANDRO imperfecto, successit Maximinus cum filio eiusdem nominis, Thrax gente, & sauitia insignis: aduersus quem, cum Senatus Pupienum & Balbinum imperatores declarasset, inumanitatem hominis, ac barbariem pertasus: ille statim in Italiam cum Germanico ac Pannonicō exercitu descendit. A quie-  
liaq; incassum obessa, à militibus fame laborantibus cum filio necatur. Memorabilis militum vox fuit, cum utrumque interficerent, ex pessimo genere ne cātulum quidem habendum. Imperarunt ambo annos treis pater sexagenario maior, filius uigesimum an-  
num agens obiit.

BALBINVS, ET PUPIENVS.

**I**mperatores hi primum ex S.C. duo aduersus MAXIMINU creati. Balbinus nobilitate generis p̄fans. Pupienus, qui & Maximus, militari disciplina clarus, à quo & Maximini uicti. Ceterum cum pa-  
rum inter se concordi animo Rempubl. regerent, à militibus uterq; interficitur, Gordiano puero summe rerum imposito.

GORDIANVS.

**O**ptimum ac nobilissimum principem terris Dij dederant, si diurebus illum p̄esse uo-  
luerent. Nobilitatem eius aius pater que imperato-  
res,

res, et Scipionem stemma genti insertum: bonitatem Romani populi, ac militum, et orbis totius in adolescentem amor attestatur. Sed cum bellum ingens aduersus insolecentes Persas conflasset, iamq; Misithei saceri diligentia feliciter consecisset, Philippi praefecti dolo, qui sacer primò, mox princeps interficitur: haud tamen inulta mors optimi principis fuit: omnes qui in illum coniurauerant, crudelibus supplicijs affetti, et Philippi non diu imperium tenuere. Vixit annos XXII. imperauit sex.

## PHILIPPI.

**D**vobus principibus audita Gordiani morte, à Senatu creatis, Marco primū, mox eo breui absumpto, Seuero Hostiliano, qui et ipse non diu superuixit, Philippus imperium occupat: nec ei gentis humilitas obstatre potuit, quo minus imperaret. Nam per omnes militiae gradus ob uirtutem euellitus, tandem praefectus à Gordiano in Misithei locum factus, optimo adolescenti insidias cōparauit: coq; per dolum cæso, imperator ab exercitu dictus Romā cunuenisset, filium Philippum imperij participem declinavit. Ipse post quintum imperij annum Veronæ medio capite supra ordines dentium præciso, filius duodenarius Romæ necatur: quē adeò tristis ingenij fuerunt, ut nunquam riserit, et semel ridentem patrem auersatus sit. Sub his seculares ludi magnificentissi-

mi millesimo ab V.C. anno dati. Sunt qui à Christiana pietate non abhorruisse Philippum tradant, quorum testimonio hominis perfidia fidem abroget.

## DECIVS.

**I**nuitum, ac penè reluctantem Philippi socordia hunc imperio præfecit, haud dubie tamen nobilissimis parentibus Bubalæ inferioris Pannonia urbe natum. Nam Philippus nunciata Marini ducis, & Mœsi exercitus rebellione, cum Decium ad comprehendendos eos motus mitteret, recusavit primo Decius: mox etiam admonuit, non esse ex Philippi re, ut ipse eò contenderet. Ceterum fatis rem ita trahentibus, ut primum prouinciam attigit, imperator omnium consensu dicitur: & interfectis (ut dixi) Philippis, cum aduersus Gotthos cum filio audaciis, quam consultius pugnaret, cæsus cum toto exercitu ab his est, corporisq; palidis uoragine absorptum nusquam inuenitum. Hic charissimus Senatui fuit. Et qui à nobis etiā inter optimos principes adnumerari posset, si iniuriam à Christiana pietate abstinuerit: in quam plus nimio Philippi etiam odio seuijt: Fabiano, ac Cornelio pontificibus Romanis martyrio affectis. Vixit tam annos L. imperauerunt uterq; biennium.

GALLVS PATER, ET VO-  
lusiianus filius.

**H**i post Decium imperiū adepti, infeliciſſimē illud per annos duos, & menses octo rexere. Nam cum Scythis tributo annuo drachmarū centum tranſegere, primi qui Romani maiestatē imperij tā ſecda patione ſuggilarint: & Armeniaム amifere, expulſo à Parthiſ Tyridate eorū rege. Tam ſæua deuinde lues orbē inuafit, que ex Aethiopia ortum habuit, ut per annos quindecim terras penè oēs exhaueſtit. Tandem Aemiliano imperatore facto, uicti prelio, à militibus occidiuntur: pater etatis anno XLVII.

## AEMILIANVS.

**T**rimestrē et hunc imperatorē Mauritania nobis dedit, uirū (quod fatidum est) militiæ peritum, ſed ignobilem: qui uictis ad internitionem penè Gotthis, aſtu etiā adhibito, cum omnem prædā militiæ promiſiſet, imperator ab exercitu dicitur. Mox Valeriano ab Alpino exercitu imperatore nobilissimo, ac Censorio uiro creato, qui Aemiliano fauerant, ne ciuili bello Rēp. cōflictaret, Aemilianū necāt, ſoloq; ducis capite res peracta eſt, anno etatis eius XL.

## LICINIVS VALERIANVS.

**N**ulum principē maiore unquam fauore orbis accepit: nullus eo calamitosior ad hanc diē imperio p̄fuit: uel quod à Sapore Parſarū rege uitatus, acie ſiuſ dolo ſuorū, ſiuſ eius imprudentia id acciderit, nam utrumq; traditur, miseraibili captiuitate

apud

apud eos consenuit: uel quod Gallienum filium post se reliquit, qui Caligulae ac Vitellijs similimus orbem terrarum penè perdidit: externis hostibus adeò nobis insultantibus, ut fœminæ imperium in Gallieni contemptum occuparint. Triginta certè tyranni nescio Rempub. magis afflixerint, an aduersus hostes nostros necessarij tutati sint: qui per ea tempora in primum imperij labentem per Gallieni lucum sustinerebunt. Vixit Valerianus septuagenario maior, imperavit annos XXV. Vir ante imperium summis honoribus functus, et in his cum summa laude, ac uirtutis opinione uersatus.

## GALLIENVS.

**A**D Valeriani calamitatem accessit Gallieni filij imperium: qui nequissimus omnium mortaliuum adeò per luxum, ac socordiam imperium affixit, ut per totum terrarum orbem grauiissima externa bella senserimus: neque uero minus à XXX. tyrannis uexatæ fuere res. Is Gallienus, cum aduersus Aureolum comparato exercitu Mediolanum usque contendisset, Aureoli cōmento iam penè uicti, certè intra Mediolanum obseSSI, interficitur quinquagenarius. Imperavit annis XV. cum patre septem, solus octo. Affuit huic principi (quod mireris) animi quandoque uigor, & ad se ulciscendum audacia: nec minus in eo liberalitatis effusit, cū nihil unquam petenti denegaret. Clau-

**O**stenderunt & hunc terris numina uerius, q̄ concessere. Quippe cuius principatu restitui ad integrum res potuerit, nisi intra biennium fato oc cubuisse. Is enim Gotthorum arma latè uagantia pri mus compescuit: naualibusq; ac terrestribus bellis eorum opes attruit, ut per omnes prouincias nulla, nisi Gothica mancipia essent. Alemanorum ad Benacum lacum infinita millia profligauit. Illud memorabile, quod Græcia uastitate, quam Gotthorum arma intulerant, Athenis captis, cum librorum ingentem vim coaceruissent, de his comburendis Barbari iam consilium ceperant: tum unus ex his, Abstineamus, inquit, hanc iniuriam ab his codicibus, quibus Graij homines, dum studio sius incumbunt, minus ad bella idonei sunt. Illud etiā in Claudio memorabile, quod accepto imperio, cum in Senatu uariarent sententiæ, tri prius bello occurseret, tyrannorum, an Gotthorum: Gotthos censuit prius aggrediebros: quod hic Reipub. hostes, tyranni principis essent. Praesertim biē nio non integro.

Q V I N T I L I V S.

**H**ic cùm dies septem ac decem imperium aucto re Senatu tenuisset, Aureliani imperatoris nuncio exterritus, sanguine è uenis emissō obiit.

A V R E L I A N V S.

Hunc

**H**Vnc inter principes necessarios magis, quam bonos multi reponunt. Nam quantum illi gloria triumphi hostiles, & militaris peritia uendicat, tantum sauitia domi etiā in sororis filiu exercita laudis detrahit. Princeps tamen dignus, qui Claudiū etiā prærogatiua Rempub. ea temporum calamitate suscipiet. Barbaros enim in terra Italia uagates, triplici prælio affixit. Monetariorū bellum non sine ingenti cœde sedauit. Zenobiū in solescentē duplii prælio uictā, & per obsidiōis moras tandem fractā in triumphū duxit. Aireolū, & tyrannorū non paucos aut interfecit, aut sibi conciliauit. Tetrico uno ex his etiā Lucanīa correctore instituto, imperauit annis V. Domestīcorū fraude inter Bizantū & Heracleā oppressus.

TACITVS.

**I**nterregnum per septem mēses Aureliano interfecto fuit: cū miles ad Senatū, Senatus ad militiā prærogatiuam imperatoris deferret eligendi: tandem patres militari consensu uicti, Tacitu Augustū dixerunt: ex quo tantū publicè gaudiū fuit, ut literas Senatus ad municipia Italīa super ea re dederit. Quām uero amplissimi ordinis iudicium à militari tumultu distet, Taciti declaratio ostēdit: cū in curia testati sunt neminem aut iustius, q̄ grauem uirum: aut prudētius, q̄ doctū imperare posse. Verū hic tatus uir sexto, q̄ imperare cœperat, mense, militari scelere perijt.

FLORIANVS.

Hic

**H**ec Taciti frater, quasi hæreditarium imperiū  
fuerit, intra LX. imperij diem, tanquam ad for-  
tunæ ludibriū solutis sibi uenis, ad Probi imperantis  
nuncium obiit. PROBVS.

**N**on fecellit omē nominis, cū hoc illi cognomē  
fuerit: ut si nō illi fuisset Probi nomē,  
cognomento hoc appellari potuerit. Huic nec Taciti  
frater obstitit, quō minus orbis totius consensu impe-  
rator diceretur: nec generis humilitas, cū patrē Dala-  
matici sanguinis, eum agrestē habucrit. Vir pacis,  
belliq; artibus longè clariſsimus. Huic per sex annos,  
quibus imperauit, uicti Sarmatæ debetur. Tyrāni per  
hunc oēs, sublati: pax uniuerso terrarū orbi restituta,  
celebris uox eius excepta inuidiam peperit apud mi-  
litēs: neq; enim necessarios amplius dicebat fore milī-  
tes, ubi hostes decessent: quos nusq; uirtute sua futuros  
mox sibi promittebat. CARVS.

**N**arb Martius hunc genuit imperatorē bonū,  
sed ad posteros etiā cōmendatiōrē multo fave-  
rū, nisi Carinū flagitiosissimū principē reliquis-  
set. Hic bello Persico capta Seleucia, et Ctesiphōtē, dū  
ad Tigrim fluium castra metatur, fulmine ieiūs perire:  
Numeriano filio ab Aprosocero mox interfecto, ado-  
lescēt eum probitatis, tū eruditionis egyptiæ, maximē  
autē ad poēticen nato: et Carino Roma per Diocleti-  
anū principem caso. Hi tres uix trienniū explerunt.

DIOCLETIANVS, ET MAXI-

mianus Augustus.

Subiect

**S**ubbeat forsitan admiratio multos hac nostra prius  
Scipionis relatione, quod paucissimos Quiritum san-  
guinis, omnes ferre exteros, & pudenda quodam  
etiam originis, non tamen poenitendos recenscam. Sic  
hactenus Decium Pannonicum, Aurelianum Dacicum, Clau-  
dium Dardanicum, Probus Dalmaticum, Carum etiam Gal-  
lia sibi uendicant. Quid quod eadem Dalmatia alte-  
rum etiam nobis imputet, omnibus & quandum prin-  
cipibus, si à piorum sanguine abstinuisse, Diocletius  
num? Is enim Salonis ortus, libertini etiam sanguinis,  
cum molem imperij grauiorē animaduerteret, quam  
ut unus esse uniuersae par posset, Maximianum Au-  
gustum creat: amboq; duos sibi Cesares, Galerium Ar-  
mentarium cognomine, & Constantium Constantini  
Magni patrem dicunt. Diocletianus igitur, quando  
per parteis rem tutius confici posse ratus est, Maxi-  
mianum Gallis præficit: eoq; confecto bello, in Afri-  
cam aduersus quinquagenarios transire iubet: utro-  
biq; sedati tumultus. Africanus certe aliquantò diffi-  
cilius, quod quinquagenarij, & supra eum annorum nu-  
merum ueteranus miles ad obsequium tam facile re-  
digi non poterat. Interim Aegyptum Diocletianus in-  
uadit, Achilleum incubatorem imperij Alexandriæ  
per menses aliquot obsessum, & in potestatem reda-  
ctum, feris lacerandum obiicit: potentissimus quisque  
caedibus, ac proscriptione petiti. Interim aduersus  
Narseum

Narscum Persarū regē Galerius infeliciter primō,  
mox reparatis copijs ira etiam animos illi faciente,  
quod ad Diocletiani carpētum post cladem acceptā  
per mille passus pedes currere coactus est, egregie  
uicit Narsco fugato, & cæsis magna ex parte Per-  
sis, pellicibusq; cum gaza omni regia captis. Hæc ui-  
ctoria Galerij uirtute, & audacia parta: qui explo-  
ratis prius hostium castris, noctu cum XX. millibus  
equitum Persas aggressus, dedecus acceptum hosti  
repndit. Diuersa etiam parte Constantius ab Ale-  
mannis improviso insultu primum uictus, & eodem  
die mox uictor, LX. corum millia cecidit: ea clade  
Germaniae attrita, Galliæ liberatae. Sic que pacato  
orbe post annorum imperium XX. Diocletianus  
Nicomedæ, Maximianus Mediolani imperiū eo-  
dem die deposuere. Rem miram, & ad hanc etatē  
incognitam, ut sponte nec prægrauante saltem  
senecta, uel rerum mole, uterque in ordinem se re-  
degerit. Diocletianus certè constantius in proposi-  
to mansit. Nam per decem annos, quot priuatus Sa-  
lonis superfuit, hortorum amoenitati uacans, iterum  
ad imperium solicitatus, à priuata uita abduci non  
potuit, testatus nullos sibi unquam soles lætiores af-  
falsisse. Obiit autem duodecim octoginta natus annos,  
uel alienatione mentis, uel ueneno hausto, ueritus Lé-  
cinium, ac Constantium, qui illum tanquam Ma-

xentij fautorem grauiter increpuerant. Sed & Maximianus dū Constantio genero insidias parat imperium affectans, Massiliae captus Constantij iussu necatur.

## CONSTANTIVS CHLORVS, ET

Galerius Maximinus Augusti.

**S**uccessore Diocletiano Iouio, & Maximiniano Herculio cognominibus, duo ab his antea dicti Cæsares, Cōstantius uidelicet Chlorus, quasi uirentē à colore dicas, & Galerius Maximinus. Sunt qui ex ueteribus monimetiis, Maximianū magis probet: sed quocunq; cognomine hic fuerit, diuerso, quod constat, ingenio uixere. Cōstantius benignus, ac facilius, atq; ad promerendam Gallorum gratiam, quibus præserat, propensior, nec à uera pietate abhorres. Galerius trux, ac propè immanis: ut qui rus, unde uenerat, oleret, nostriq; sanguinis appetetissimus. Sed cum undecim annos Constantius Gallias, & Hispanias in summo ocio tenuisset (Nam Africā, Italiāque sub imperij initia sponte demiserat, ratus id gravioris esse oneris, quam ut ab uno sustineri posset) Eboraci decepsit, moderati principis fama, & Constantino filio successore felix.

Galerius imperium adeptus, molem & ipse secū rei reputans, duos sibi asciscit Cæsares, Seuerum & Maximianum inniorem; illum Italie, hunc Afri-

R.O. PRINCIPVM LIB. I. §38  
ce & orienti præficit: ipse Illiricū sibi medius aſ-  
ciscit. Verum non multò pōst genitalibus putrefacen-  
tibus, uite tēdio uim sibi gladio intulit.

SEVERVS ET MAXIMINVS IMP.

**S**euерum haud multò pōst Maxentij factio Ro-  
mae intra tabernas opprimit, & Maxentium  
Herculij tyrranici uirū ſpiritus ſibi præficit: aduer-  
ſus quem dum Maximianus festinat, militum ſuo-  
rum deſectionē ueritus, retrō in Illiricū contendit:  
ubi ulcere inguinibus innato, cum deſſent remedia,  
nec medici ob hominis immanitatem opem ferre au-  
derent, uermibus undiq; erūpentibus obiit. Christia-  
ni ſanguinis uisque ad insaniam pridem effusi incas-  
ſum poenitens. Vir belli, pacisq; artibus insignis, niſi  
cruelitate nimia in nos, tāta uirtutes ſedasset. So-  
lus annos duos cum Cesaribus, & Licinio imperij  
conſorte XV I. præfuit.

LICINIVS ET CONSTANTINVS.

**L**icinio Dacia natale ſolum fuit. Militaris diſci-  
pline ad ueterē normā ſeuerifimus exactor.  
Ruficis et agrarijs hominibus (ex eo enī genere flu-  
xerat) equus: auaritiae & Veneris studio infamis,  
moribus planè barbaris: et literis adeo infestus, ut ui-  
rus ac pēſtē publicam eas appellaret, ſed cur eas non  
odiffet, quarum adeo expers erat, ut ne decretis  
quidem ſubſcribere poſſet? Illud in eo non repre-

L! 2 hend.

hendas, quod spadonum, aulicorumq; insolentiam m̄e  
re compescuit, tincas, soricesq; palatinos appellans.  
Hunc Constantinus nouares molientem, primum in  
Pannoniae campis fudit: mox reparantem vires in-  
credibili celeritate ex Europa in Asiam expulit: ma-  
leq; reconciliata iterum gratia per Cōstantini soro-  
rem Constantiam, quae illi uxor erat: cum rebelles a-  
nimos homo uecors retineret, etiam contra sacra-  
menti fidem, Thessalonici interfici iussus est. Impe-  
ravit annos XIIII. sexagenario maior, Christianis  
infestissimus. Vnde illi discordiarum semina ad-  
uersus Constantinum acriora.

## M. FLAVIUS CONSTANTINVS

Constantij Augu.

**F**elicioribus auspicijs, ac meliore partium no-  
strarū euentu, rerū tandem Cōstantinus potitur,  
ex Helena Constantij uxore suscepitus: & ceteris  
fratribus ob egregiam indolem, cū illi segnitie pre-  
se ferret, patris etiam testamento prelatus. Hic sub  
Galerio rudimenta militiae felicissime auspiciatus, par-  
ta ex Sarmatis egregia uictoria, ueritusq; ex ea lau-  
de gliscentem inuidiam, ad patrem trans fugit: eoq;  
mortuo, Gallias, Hispaniasq; & Cottias Alpes obti-  
nuit: Cōstantio patre id multò ante somnio presagi-  
ente, egregium imperatorem fore, qui Dei militibus  
op̄e primus ferret, iamprimum igitur veteranis mi-  
litibus

litibus agros assignatos, ut ad filios suos transirent, primus instituit. Tertio imperij anno accessitus in Italiam ab ijs, qui Maxentij tyrannidem ferre non poterant, biennio totam Italiam, urbemq; Romanam pristinæ maiestati asseruit, Maxentio Tyberinis gurgitibus absorpto. Inde abnegato idolorum cultu, Christianam puritatem ita amplexus est, ut praeter egredia dona diuorum nostrorum templis illata, C H R I S T V M ab omnibus calendum precepit, templaque illi, & alijs numinibus erexerit: nec alia magis causa acrius in Licinium excusit, quam quod ille aduersaretur nobis. Bella contra Barbaros multa felicissime conficit: unde primus Romanorum principum Magni cognomentum tulit. A bellis ad studia conuersus, optimum principem primis annis egit. Leges sanctissimas tulit: literis ipse impense semper studuit, & eas fouit. Religionis adeo obseruans, ut Nicenam synodum C C C. & X X I I. patrum multis disidentibus indixerit. Byzantium instaurauit, imperatoriamq; urbem & nouam Romanam appellari uoluit, moriens & Constantinopoli sepultus, treis liberos, & Dalmatum fratri filium successores reliquit, X X X. & amplius annos imperans, tredecim uero ex his solus. De eo sic memorie proditum, decem primos annos ut præstantissimus dicitur. XII. sequentibus latro, decem nouissimis pu-

pillus ob immodicas largitiones. De eius baptisma te uti usitant, autores, sic constanti fide, quæ de imperij donatione circumferunt, uti minus similia ueri, non probant. Sed alij hoc uiderint.

## CONSTANTINVS, CONSTANS,

& Constantius Constantini filij Augu.

**H**tres imperium, quod per manus à patre accepérunt, ita partiti sunt, ut Cōstantinus maximus natu Gallias, Hispanias, Britanniamq; insulam obtineret: Constanti Italia cum Illyrico, & Græcia cederet: Byzantium & Oriens Constantijs esset, qui Dalmatiū socium imperij haberet: quem haud multo pōst dolo exceptū militari factione opprēbit, cū annos treis imperasset. Nec durauit diu fratrum cōcordia: sequidem in nefarium bellum rapti fratres: nam Constantinus Gallico exercitu fretus, Constanti fratri bellum intulit, quod dum cupidius, quam cautijs gerit, ad Aquileiā exceptus insidijs nondū triēnio finito, vulneribus confectus perīt. Inde Constās uictor, cum non sine labore prouincias transalpinas in potestatem redegit, egit primum optimū principem: mox aduersa ualeitudine, siue rerum felicitate mutatus, ingratus omnibus esse coepit. Donec & ipse Magnentij dolo dormiēs intra tentoriū, ad Helenam oppidum oppressus est, cum imperasset annos XII. uixisset paulò plus XXX.

Constans

Constantius cædem fratriis ulturus, ingenti exercitu aduersus Magnentium cōparato, in genti illum prælio & memorabili, ad Martiū fudit: quo Romani uires imperij penè concidere, LIII. milibus utrumque desideratis. Mox cum Magnentius bellum repassasset, & ad Lugdunum iterum uictus esset, gladio sibi latus aperuit: sed et Decentius frater, qui Cæsar ab eo dictus fuerat, laquei morte præposta uitam finiit. Nam Britannoni ante Constantius ueniam pertinente facile dederat. Is Britannion adeò expers literarum est habitus, ut ne prima quidem elementata calceret. Ceterum Constantius Gallum à se anteā disfatum Cæsarem ferocientem, & in solescentem supra Cæsaris nomen interfecit: & contra Persas infeliziter conflixit militum suorum stultitia. Quibus ad sua abeuntibus, quæ Massagetae uastabant, dum Romanum iuuisit, Julianum Galli fratrem, treis et uiginti annos etatis agentem, Cæsarem à se factum, in Gallias aduersus Alemanno eas uastantes misit: ipse in Persas iterum contendens, dum ægrè ferret Julianum à militibus Augustum esse dictum, apud Mopsucrenen iuxta Tauri montis radices astutissima febre decepit. Vixit annos XL. imperauit XXIII.

**C**ONSTANTIO extinto, Juliano facile cuncta ceſſe  
Li 4 re.

## 336 IO. BAPT. EGNATII

re. Puer hic ingenio sublimi, callido, et literarum ardentissimo, Gallias sibi primum accessum preter omnium spem, Alemannorum incursu vastatas afferuit, regemque eorum cepit: inde Augustus a militibus salutatus Parisijs, mortuo (ut dixi) Constantio, aduersus quem bellum citiale parabat. Persis, adepto imperio, bellum indixit: ubi dum inconsultius agit, Persae uiri dolo in deserta cum exercitu ductus, conto traiectus periret. Sunt qui sagitta e coelo missa vulneratum dicant. Vnde in nefariam uocem erupens, uicisti Galilee (sic enim Christum appellabat) occubuerit. Christianos impio quodam odio adeo insectatus, ut studia, et militiam hisce interdixerit: plerosque premijs, et illecebris, quasi machinis a uera pietate auertitur. Quinetiam imperator (ita deo uisum) aduersus nos libros edidit: ille uero si ingenii, indoleque egregiam ad ueram pietatem, quam puer imbiberat, conuertisset, inter egregios principes adnumerari posuit: decessit annos agens alterum et trigesimum. Solus annum unum, menses treis imperauit.

## IOVINIANVS.

**H**ic Varronianus pater, Panonia patria, statuta procerae, ingenij amoeni, nec a literis abhorretis: qui a militibus primo imperator salutatus deceptis similitudine nominis, quasi Julianus reuixisset, cum Persis pacem magis necessariam, quam hono-

R. PRINCI P V M LIB. II. 537

honestā, Transtigritanis prouincijs quinq; amissis,  
inijt. Accessit noue ignominie de decus grauius: ue=titus imperator R. om. Arsaci socio opē ferre. Perijt  
octauo imperij mense Dadastanis oppido. dum cubi culum ingreditur noui teclorij, prunis etiam arden= tibus: siue, ut alij, stomachi cruditate XXXIII,  
etatis anno.

VALENTINIANVS, ET

Valens Augusti.

**D**edit & hos Pannonia principes Gratiano  
patre ortos: primū Valentiniānū ab exer= ciu Nicæ, inde Valēs ab eo Augustus, imperijq; cō= sors dictus: qui Procopiū temere imperium inuadē tē, Constantinopoli oppressere. Inde Gothi, et bar= bare nationes à Valentiniāno Thracia exturbatæ,  
Septentrioq; omnis cū Saxonibus ad officium eius= dem opera redacti. Parthi è Syria per legatos eie= sti. Inquieta Germania Theodosij maioris auspicijs pacata. Ipse dum Quadorum legationem latrocinia excusantem audit, subito morbo uenis arefactis, ut sa= quis mitti nunq; potuerit, obiit: Gratiano filio prius August. appellatione donato, imperij accepti anno XI. mense V III. die X X. uitæ L V. Valens post fratri interitum, Arrian. e fact ionis fautor, dum aduersus Scythes & Goths prælium ferocius, q; cau= tius ciet, uictus ab his acie, uitæ, imperiumq; amisit,

Ll s igne

igne intra tugurium, in quod consigerat, iniesto. Digni imperio fratres, & inter bonos nesceredi, nisi valens Arriano delirio virtutes egregias inquinasset.

GRATIANVS, ET VALENTI-  
nianus.

**H**AUD sanè improbandum principem numina terris dederant, si quantū literis et militari discipline uacabat, ac uenationibus, tantum curæ ad rem pub. cognoscendam impen disset. Nam pietate in suos egregius, Valentinianus adhuc puerum Aug. dixit patre patruoq; extinctis. Mox Theodosium Hispanum consortem imperij adscivit. Verum dum spicula tantum, & arcus meditatur, dum Alanum militē Romano præfert, Maximi ducis insidijs circuuentus periret, cum imperasset cum patre annos octo, cum patruo treis, cum Theodosio III. Valentinianus à Maximo emissus, Theodosijq; ductu postea restitutus in imperium, Maximo tyranno interfecto, mox Eugenij & ipse post Maximum tyranni dorsum uictus, la quo seipsum necauit.

THEODOSIVS.

**H**IC Honorio patre, & matre Termatia, haud dubiè inter optimos principes adnumeretur quippe qui Rempu. Gotthicis armis penè oppressa accitus ex Hispania (que illi patria) à Gratiano restituerit, Maximum tyrannum & Andragatum prefectum

fectum eius subito incursu uictos occiderit, Valentino imperiu[m] afferuerit: Mox Eugenium tyranum in Valentini[an]i ultionem sustulerit, non sine numinis manifesto indicio: cum multo minoribus enim copijs illi congressus, militante illi æthere, & coniuratis in eius auxiliu uentis, ut poëta eleganter cecinit, uictoriam insignem adeptus est. Fuit autem hic princeps moribus & corpore Traiano principi similis: summa in eo clemētia, incredibilis in suos pietas, rei militaris disciplina sagax, nec à literis alienus, simplicium ingeniorū admirator: pietatis nostræ ad deo obseruator, ut summa ciuitate ab Ambroſio aristite castigatione, adytisq[ue] prohibitum tulerit. Obiit Mediolani etatis anno L. imperij XI.

## ARCADIVS, ET HONORIVS.

**H**occe pueros Theodosius uiuens, in imperij co sortes fecerat: & moriens, quando etas rerum moli nō responderet, treis imperij tutores testamento sanxerat, Arcadio Ruffinum, Honorio Stiliconem commendans. Africæ uero Gildonem præesse voluit. Prior Ruffinus, dum Gotthica solicitat arma, ut imperium metu ab Arcadio extorqueret, perfidie penas dedit: pariq[ue] pena Caianus Rufini sceleris popularis afficitur: inde mox Arcadius, cum Bizantij regnasset annos serè XIII. obiit, Theodosio filio relicto. Maior rerum moles Honorium

ROME

Rome agentem accepit: qui rebellantem Gildonem  
 cum Mascezelis fratribus ductu superasset: eundem quoque  
 Nascezelum rebellem expertus, Bonifacij ductu ui-  
 cit. At Stiliconis perfidia coniunctior, quo occul-  
 tior fuit. Nam magno nostro dedecore cum Gotthi-  
 Italiam uastassent, urbemque Romam cepissent, astu Stili-  
 conis rem adiuuante, tandem re ab Honorio cognita,  
 Stilico cum filio sublatus est, qui genere Vandalus,  
 et militaris disciplinae scientissimus. Honorij etiam  
 sacer, si qua operam in perdendo ad Fesulas Rada-  
 gaso cum ducentis Gotthorum millibus praestiterat, in  
 afferendo imperio praestitisset: nec Romanum Alari-  
 cus Gotthorum rex unquam cepisset, nec orbem totum  
 cladibus assiduis inuoluisset. Decessit autem Ro-  
 ma, cum annos duos et XX. imperasset.

## ROMAE CAPTIVITAS.

**N**on potui non ucheinenter mirari tantam uel  
 temporum iniuriam, uel scriptorium inertiam  
 tum ueterum, tum recentium fuisse: ut cum Romanum  
 orbis reginam captam ab Alarico Gotthorum rege,  
 anno post eam conditam millesimo CLXIII. cer-  
 tam omnes memoriae prodat: seriem tamen rei, aut  
 indagandam non censuerint, aut indagatam tanquam  
 rem planè ignobilem, nec scitu dignam obliuione in-  
 uoluerint. Pro Deum hominumque fidem, urbs orbis  
 totius regina, quaeque eo auspicio condita creditur, ut  
 capit

caput orbis semper esset, et quæ toties de barbaris  
götibus, orbeq; triumpharat, capitum Gotthico astu,  
& interim rei series, ordoq; nescitur? Ego uero id  
minime patiar, et omnis antiquitatis lustrandæ stu-  
diosus, hanc quoq; rem tamen memorabilem non negligam.  
Astu autem barbarico capta traditur in hunc fermè  
modum: quem Procopius solum ex omnibus, quos le-  
gi, tradat: ut mirer ab interprete uel rem totam dis-  
simulatam, uel cum in mutilum Græcum codicē inci-  
disset, non animaduersam. Ille igitur in hanc senten-  
tiam: Obsederat Romā Alaricus iam biennium: nec  
Honoriūs, qui Rauēnæ desidebat, aut ferre suppeti-  
as poterat, aut audebat. Nam cū nihil minus, quam  
de urbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto,  
ducem exercitui minime præfecerat, qui rē aduersus  
Gothos administraret. Vnde Gotthis obsidēdæ ur-  
bis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segni  
terrē agente. Verū eam frustra obseßā, cū expug-  
nare ui non possent, ad dolū hostis barbarus uerti-  
tur. Profectionem in patriā simulat, trecentosq; iu-  
uenes, corporis & animi ui præstātes deligit, quos  
Romanis principibus dono det: instructos prius, ut  
omni obsequio dominos suos promererī studeant, et  
ad certam dicim circa meridiem, cum Romani prin-  
cipes somno, uel otio uacarent, ad Asinariam portā  
aduolēt: interfictisq; improuiso insultu custodibus,  
portam

portam sibi prestò futuro aperiant. Interea Gotthi  
cum redditum, alia atq; alia deesse sibi simulantes dif-  
ferrent, trecenti illi iuuenes occasione egregiè usi-  
portam statu die suis aperiunt: & intromissus Got-  
thus maiore ignominia, quād damno urbem omnem  
populatur. Sunt qui Probæ illustris fœminæ, & opu-  
lentiissimæ opera patefacta Gotthis portæ existimèt,  
cum plebem Romanā paßim fame, & morbis pecu-  
dum more cadentem miseraretur. Duo sunt cogniti  
nō indigna: Vnum, edictum ab Alarico fuisse, ut qui-  
cunque in templo diuorum consigerent, præcipue  
Petri & Pauli, his nulla uis inferretur: quod & sum-  
ma fide seruatum. Alterum, quod cum nunciatum Ho-  
norio esset Ravennæ Romam perditā, credidit ille  
de pugnaci Gallo, cui nomen erat Rome, significa-  
tum esse: admiratumq; uehementer tam subito pe-  
rijisse eum, qui cum paulò antè festiuissimè luserat. As-  
deò socordis ingenij princeps, nec quicquam omni-  
no paternæ, aut æq; uirtutis referens, quod & Arca-  
dio fratri uitio datum est. Nam Eudoxie uxori ad-  
dictus, cum alia improbè fecit, tum Chrisostomum  
antistitem sanctitatis & eruditioñis egregiè, uxo-  
ri plus & quo inserviens, in exilium egit.